

dum artem omnino manifestam ac integram. Si nondum ipsam intelligas, aut scias, bene est: nam ita manere debet non vulgariter palamque fieri cunctis indifferenter.

DE GENEALOGIA MINERALIVM EX PARACELSO

Præfatio ad Lectorem.

QUANQUAM ordo videtur expetere prius de generatione mineralium & metallorum tractari quam de transmutationibus: Attamen quia non dilucidius Theorica potest, quam à sua Practica percipi, è re studiosorū huius artis fore putavi, si ab opere primum aggrediantur. Maxime quia Chemia non verbis, sed elaboratis rebus dumtaxat adimpletur, ut reliquæ omnes quotquot in usum & necessitatem hominum veniunt artes, quarum etiam habitus usu contrahitur magis quam ullis demonstrationibus. Licet istæ plurimum faciant in confirmationem eorū qui jam provecti sunt potius quam initiatorum: Istis tamen à principio maxime prodest, manum in pastam (ut ajunt) mittere, ac sensim ab annotatis erroribus addiscere. Siquidē absq; his nemo vel facilimam unquā artem didicit. Pariter & Chemicam assequi nullus facile poterit, qui prius in ea non errarit sapius donec probe teneat. Item nunquā ingredi veram semitam cōtinget, usq; dum à devio gressu gradū ad metā revocet erroresq; suos ab imitatione operū naturæ corrigat. Ab hac statim discere nō ita facile fuerit, cū deficient objecta chemicæ naturalib. comparanda. Proinde Chemicam artificialem naturali præmittere visum est, quo periclitantes in hoc opere ad mineralem Genealogiam, tanquam ad anchoram, revocemus. Quam etiam in hanc rem annexere chemicis, visum est opportunum atq; necessarium.

DE